



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 104. Urbs Montis Selicis a Fœderatis obsessa, captaque.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

tum aureorum millia mutua daret, ea lege, ut hic Veronam pignoris loco cederet, donec parem Regi summam rependisset. Hujus foederis pacta ex urbe Parisiensi delata fuere ad Calvimontium, eo ferme tempore, quo is ad suam Præfecturam rediturus, sese itineri accinxerat, igitur hæc pacta exequi jussus, Anhaltino Comiti significavit, velle se copias suas Cæsareis jungere, ut ambo urbem, quæ ei magis expedire videretur, junctis viribus aggredierentur. Opportune etiam Dux Thermensis quadringentos Lancearios ex Hispania adducebat, quos Rex Catholicus ex lege Cameracensis foederis suppeditabat; igitur hisce suppetiis aucti, an ex sententia Maximiliani Patavium obsideretur, deliberarunt; verum præplacuit, Montem Selicem, exiguam urbem Athesin inter & Patavium sitam adoriri.

Sæcul. XVI.
A. C. 1510.

§. CIV.

Urbs Montis Selicis a foederatis obsessa, captaque.

Attamen infausta erant hujus obsidionis auspicia; tot enim ex foederatorum exercitu desiderati sunt milites, ut nil propius erat, quam quod obsidio solveretur. Acuit tamen oppugnantium constantiam ulciscendi libido, quippe Crittus Sonzinum Benzonem ab exploratoribus captum

Bembol. 10.
Guic. 1. 9.

Secul. XVI. ptum laqueo suspendi iussit, supplicio
A.C. 1510. proditoribus debito, eoquod Cremam pa-
 triam suam, accepto unius Cataphracto-
 rum centuriæ pretio, hostibus tradidisset, cum vero Sonzinus peditum Præfectus sub Gallorum signis militasset, Calvimontius Montis-Selicis obsidionem omnibus viribus urgere statuit, ut Sonzini mortem præsi-
 diariorum exitio ulcisceretur. Ergo die vigesima prima Junii copias suas ad assultum educit, factaque impressione Venetos, qui primum tuebantur munimentum, tanto furore propulsavit, ut turbatis omnium animis ad alterum propugnaculum confugere cogerentur, verum adeo presso pede hostis fugientium tergis instabat, ut obsidentes Venetis intermixti, ac conferti una omnes in munimentum, & continuata insequentium rabie in tertium etiam aggerem penetrarent, turrimque ingrederentur: tandem vero editissimum arcis propugnaculum, ad quod præsi-
 diarii milites sese receperant, igne succenderunt, cunctosque ibidem morantes flammis absumpserunt. Hæc postrema erat hujus exercitus expeditio, qua absoluta Germani Tarvisium reduci postulabant: cum vero jam sexta effluxisset septimana, atque hic idem terminus esset a Cæsare foederis lege pactus, nec tamen de Maximiliani adventu notitia haberetur, Calvimontius

Sæcul. XVI.
A C 1510.

montius cum copiis suis Mediolani Ducatum petiit; Ducis enim hujus præsentia ad alia negotia satis necessaria erat, Anhaltino tamen Comiti trecentos Lancearios, totidemque pedites, quos desideraverat, reliquit.

§. CV.

Pontificis copiæ adversus Ferrariæ Ducem.

Interea Julius II. cum a Gallis bello peti prospiceret, Mantuani Ducis, ut illum sibi devinciret, libertatem a Venetis efflagitabat, nec incassum; Dux enim die decima quarta Julii recuperata libertate e custodia dimittebatur: cum vero bellum sibi a Gallis inferri timeret Pontifex, ipsius jussu Urbinatis Dux ejus Nepos in Ferrariæ Ducis ditiones arma intulit, quorum tamen successus sub primis belli auspiciis haud adeo secundus erat; quippe Urbinatis Dux primo exiguis quibusdam oppidis, quæ in itinere offenderat, occupatis, demum Lugonum cinxit; ast cum Castellio Gallorum Præfectus, qui in Longobardia cuidam agmini imperabat, obsessis cum trecentis Lanceariis prompto auxilio adesset, urbemque die vigesima nona Julii ingrederetur, hujus adventus tantum terrorem in hostes effudit, ut Urbinatis Dux Gallorum co-

Hist. Eccles. Tom. XXXII. K piis